ANTIPROGNOSTICON CONTRA INVTILES ASTROLOGORVM PRÆDICTIONES Nostrodami, Cuninghami, Loui, Hilli, Vaghami, & reliquorum omnium.

Authore Gulielmo Fulcone.

Sapiens dominabitur Astris.

Σημειων ἐξ ὀυρανιων μελλοντα προειδων
Πῶς μη ὁ ῥᾳς ὁ προ των κειμενον ἐστι ποδων;

Qui cœlestibus ex signis ventura recludis,
Cur nõ cæce vides quod iacet ante pedes?

Authoritate Londinensis episcopi iuxta formam in edictis reginæ præscriptam.
Sexto die Septembris.
1560.

Thom. Tanner.

BIBLIOTHECA ROMANA

¶ Gulielmi Painteri ludimagistri Seuenochensis tetrasticon.

Qui sapis & sentis, post hac inquirere noli,
Quid male portendant sydera, quidue boni.
Nam tibi perspicuè, Fulconis pagina monstrat,
Quanta sit Astrologis, nunc adhibenda fides.

Iohannes Lucas. Iun.

Maxima te spectat laus & victoria Fulco
Dum vincis paruo, dogmata tanta libro
Vos autem toto cœlo, qui errare soletis
Astrologi, nomen prorsus inane manet
Præsidio nudati estis, contenditis vltra?
In bellum fractis viribus, ire libet?

Samuel, Fulco.

Quæ tot in obscuris latitauit sæcula lustris,
Decipiens fictis, pectora sana dolis:
Nunc prodit vulpes, vænatibus acta supinis,
Constat & effugii cum via nulla, cadit.
Tuq; tibi laudem deprensæ suscipe Fulco
Vendica & ex paruo præmia magna libro.

G.D.

Credibile est diuos securam ducere vitam:
Scilicet Astrologi quæque futura regunt.
Parca tace, prognosta tuos sibi poscit honores,
Verum est fatidico quicquid is ore canit.

A.B.

Ausa est ad cœlum fermè Babylonica turris
Scandere, nos vltra scanditis Astrologi.
Ex alto ingentem passa est ea mole ruinam,
Altius è cœlis aggera vestra cadunt.
Quin, & non adeo firmis constructa columnis
Verborum paruo fundimus imbre, ruunt.
Fulconi laudes, verbi, cui tanta facultas,
Debentur: dum vos dedecus omne premit.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, ET APOstolo teste, duplici honore dignissimo Londinensi Episcopo, Gulielmus Fulco, Salutem.

ON DVM DECEM menses abierunt (vigilantissime pastor) ex quo, te apud diuum Paulum, in ipso natalis Dominici celeberrimo die præclarè concionãtem, & tum pro temporis ratione, tum pro muneris tui authoritate, in varia ludorũ genera, quibus vulgus hiis feriis ad memoriam salutis humanæ per solum Christum partæ, deditus esse solet, grauiter inuehentem audiens: cogitaui exercitio aliquo non iniucundo nec inutili, dum cęteri strenuè gulæ, sympoſiis, & aleæ (Saturnalia potius quam natales Christi celebrantes) incumberent, tœdium temporis fallere, & postea tuæ prudentię, quasi occasione à te arrepta, eiusdem rationem reddere.

Absoluto igitur hoc opusculo, sępe (quasi ferrum ab incude raptum) tuæ dignitati inferre statui vt sub auspitiis tuis in publicum veniret, sępe recordatus sum, quam scabrum sit quamq; omni lima impolitum, sępe verecundia seu inutili potius pudore prohibitus sum, ne iuuenis & rerum imperitus tantum præsulem meis nugis interpellarem. His atq; similibus de causis cautum est, ne partus hic tãquam abortiuus prodiret sed ad nonum vsque mensem legitimo interuallo perducere tur. Cum autem typographus necessariò authoritatem tuam ad perficiendum quod instituerat desideraret, videbar mihi eisdem propemodum quibus anteà impedimentis tardari. Postquam vero tuam vocem in eandem sẽtentiam quam ego prius optaueram, dudum consentientem audirem, non dubitaui dignitatem tuam aggredi, vt cuius instinctu primo opus incipiebatur, eiusdem authoritate perficiatur. Absit autem à tua prudentia, vt in eorum aliquem, in quem calamus fertur, in eundem animum nostrum inuidia aut maleuolẽtia sæuire putes, quorũ nullũ vnquam me vidisse memini. Peto igitur à te dignissime præsul vt à doctorum grauissimis censuris laborẽ meũ tuearis, maleuolis vero, detrectatoribus

bus & indoctis hoc opuſculum, tanquam li-
mam Æſopicam ipſe propono in qua vipe-
rinos dentes citius contundant & confrin-
gant, quam Aſtrologicam vanitatem, quan-
tumuis mordicus teneant retinere, ualeant.
Poſtremo hoc etiam magnopere contendo
vt neglecta muneris çſtimatione ſtudium
meum boni conſulas. Sic tibi tribuat
omnipotens deus vt nõ ſolum ad gre-
gis tui ſalutem verum etiam ad toti
us rei publicę Chriſtianæ vtilita-
tem fœliciter epiſcopus inui
gilare poſsis.

¶Londini ex hoſpitio Clif-
fordenſi. Decimo
die Auguſti.

A est humanæ mẽti insita inuestigandi futuri cupiditas, vt in excogitandis artibus, ad eius cognitionem spectantibus, plurimum elaborauerit. Quippe ex vnoquoque elementorum elicere manticen iamdudum aggressa, protulit nobis Pyromantiam, Hydromãtiam, Geomãtiam, atq; id genus alias, abscõditarum rerum pollicentes cognitionẽ scientias. Porro ne instrumentis libriue destituti, aliquando non possent, futura prædicere, diuinationẽ manuariam (quia illud organum omnes circumferunt) sagaci indagatione reperit. Deniq; nihil tam

vanum

vanũ aut inane habetur, in quo nullũ diuinandi artificium adinuenerit. Quãdoquidẽ & Capnomantiam, & Sciomantiã, iampridem proposuerit. Tolerãda forsitã ista viderẽtur, dũ ĩ hiis quæ propinqua sint & nota humanũ versetur ingenium: sinó & ipsum cœlum & sydera, ad suarum diuinationum normas, ψευδομαντεῖα passim exigerent. Neq; hoc modestè & quasi diuinantes, sed tanq̃ oracula dantes Pythia, permulti arrogãter pronunciant. Parum esset si pluuiã & tempestates solũmodo prædicerẽt, nisi vniuersum orbẽ, morbis, bello & latrociniis, pro suo arbitrio miscerẽt. Quid? quod vniuersalibus oraculis non cõten

ti, etiã singulariũ hominum vitę, (quasi fatales Parcę) manifestè cõ tra totiꝰ philosophiæ ordinẽ, impudẽter minãtur. Nec corporibꝰ solũ sat habẽt dominari, nisi etiã animos hominũ, aut vitiis, aut virtutibꝰ, secũdũ ipsorũ regulas onerarent. Horũ tã crassum errorẽ detegere, vanitatẽ patefacere, authoritatẽ elcuare, non infimę laudis pretiũ duxi, partĩ quod tã inhonestè merces suas vbiq; hominibus obtrudant et dituẽditent, partĩ qđ tã petulãter ĩ eos quæ huiusmodi prædictiones nihili faciant, totis viribꝰ ferãtur. Nónulli etiã, necessariũ vsum suarũ diuinationũ, prę scribere nõ erubescũt. Verũ necessesse est (si Ciceroni credimꝰ) sine

quo,

quo, viuere non poſsimus. Sed quot ſunt hominum myriades? qui & viuunt, & bene viuũt, nec tamẽ prognoſtica, vnq̃ vel vidiſſe curant. Alii ſcientiarum artiũq́; cognoſcendarũ auidos, ad ſuũ Almanach, tanquã pleno cornu copiã vocant. Deniq; quod eſt vel arrogantię, vel iactantię argumẽtũ, quod in iſtarũ prophetiarũ libellis, non inueniatur? Quicunq; igitur, contra hęc oracula, vel hiſcere audebit, ſtatim audiet, ignarus, detrectator, ſycophanta. Atq; hinc eſt, quod hanc prouinciam, eorum nugationis detegendæ, tã pauci ſuſceperint, ne maledicæ & arrogantis Prognoſtarum turbæ contumelias ſubirent. Solus

enim (quod sciam) nostro quo doctissimꝰ doctor Petrꝰ Dacquetꝰ, inutilem esse huiꝰ simulatę artis vsũ ad medicinę opera, perspicuè & eruditè disseruit. Ego autem cum satis munitus sim ad omneis omniũ excipiendos ictus, etiã otium nactus (nisi me lingua aut calamꝰ deficiãt) vniuersam illã ex syderũ aspectu prędicẽdi arcẽ, funditus euertere moliar. Neque vero vsq; adeo ignarũ me profiteor, eius cognitionis (si qua huiusmodi est) vt illi persuadere multitudini cupiunt, eos esse, qui illorũ prędemõstrationes cõtemnãt: Nec maledicẽdi studio, aut inuidia motꝰ, ad scribẽdũ accedo (scio enim me irritare crabrones) sed cũ videre nõ

paucos

paucos scientiarum cupidos, etiã hanc cœlestẽ manticen, plurimi feciſſe, eos hoc opuſculo admonendos cenſui,

Ne bibulum curuo proſcindant littus aratro,
Spesq́, ſequi cupiant quas locus ipſe neget.

Vt quando rẽ ipſam, penitius introſpexerint, hęc prognoſtarum cõmenta admirari deſinãt, & futurorũ cognitionẽ ex propioribꝰ & notioribus petere diſcãt. Nam vt nõ temerè dici ſolet, quę ſuprà nos, ea nihil ad nos, quęque noſtrũ intellectum ſuperant, curioſius non ſunt inueſtiganda. Neque me quiſquam calumnietur, quaſi pulcherrimam, & certiſſimam Aſtronomiæ ſcientiam, impugnare aggrediar, vt ipſi prognoſtę

nostę (pro suo candore) clamitant si quis contra Astrologicã vanita tẽ liberius loquatur. Sed hãc scię-tiã, vt inter humanas diuinissimã ita à quãplurimis (omnibus cer-tè iis qui philosophiæ titulũ ge-runt) vtiliter ꝑcipi digustariq; cu perẽ. Nihil autẽ eos moueãt isto-rum minæ, qui suũ augurium, ei' scientię finẽ esse iactitent, quãdo nihil cõmune habeat, certum cũ incerto, nec verum cum ficto ali-quando cõgruere possit. Nec fru-stra astrorũ cursus considerare prę repta hac diuinatione, studiosi cogentur, cũ ipsa cognitio (si Ari-stoteli fidamus) quidã finis habea tur. Porrò prẽter iucundissimum totius machinæ spectaculum, an

non

non infinitas vtilitates, ipſa ſcientia ſecum adfert? quid memorem, tot horologiorum ſpecies, tot temporum & annorum diſcrimina, tot denique lucentium varietates et gradus? vnum ſydus, quaſi vnius dei ſimulachrum, omnibus lucem ſuam cõmunicat, hunc quamdiu intuentur aſtra, ſplendidiſsimis radiis exultantes, vniuerſum orbem illuſtrant: ſi qua vero ſtella, eius aſpectu, inuidioſo vmbrę interuẽtu, priuetur, mœret, & luminis expers, pulchritudinem ſuam amittit. Nihilne confert, tam varias lunæ facies noſſe? tã diuerſas dierũ longitudines ſcire? tãm multas caloris frigoríſque ex acceſſu aut receſſu

ſolis

solis, differẽtias perpendere? Qui igitur sine Astrologia, Astronomiam non posse constare affirmant, & huius cognitionẽ, absq; illius vsu, inutilem esse pronunciãt, manifesti erroris, seu potius mendacii conuincuntur. Ne itaque sub insignis huiꝰ scientię pallio, suam hypocrisin parum perpẽdentibus, cõmendare amplius pergant, optarim ab omnibꝰ, qui huic fuco tantoperc faueant, hũc libellum vel semel perlegi, & nisi cos vel affectio peruersa, vel crassa ignorãtia remoretur, syderalẽ prędictionẽ, penitꝰ penitꝰq; reiecturos scio. Diu enim sub Astronomię prætextu, hæc auguratio latuit adeò vt eius professores, Astro-

ſtronomos ſe palam pro Aſtrolo
gis venditare non ſunt veriti. Ali
qui etiam confundẽtes nomina,
& in docendo, & in ſcribẽdo, al-
teram ita miſcuerunt cum altera,
quaſi nõ eſſent diſtinctę artes, ſed
ex ſe inuicem, tanq̃ relatiua, pen-
derent. Atque hac ex parte non
diſsimiles ſunt defamatę vitæ hò
minibus, qui quo tutius & mino
ri cum ſuſpicione, nefaria facino-
ra perpetrare poſsint, bonorũ con
ſortio libenter vtuntur. Verũ ha-
rum diſcrepantiam tam manife-
ſtam eſſe omnibus puto, vt inter
eas diſcrimen poſuiſſe, ſuperuaca
nei laboris eſſe, mihi certo perſua
deam. Quamobrem admonuiſſe
ſat erit ſimpliciores, ne dum ſyde-

ralem

ralem diuinationem impugne-
mus, contra syderum cursus, legẽ
& ordinem, aut eorum disci-pli-
nam, nos disserere, inconsiderate
putarent. Sed vnde initium su-
mam? aut qua potissimum ex par
te tantam vanitatem prodere ag-
grediar? an ab incertitudine? an
potius ab inutili, imo nociua eius
obseruatione? quæ vniuersam ci-
uitatem nõnunquam perturbat
an magis ab impossibili? monstra
bo nullam esse huiusmodi præsa-
giorum scientiam. Si quicquid in
certum sit, idem nulla obseruati-
one dignum, quid tandem in A-
strologicis deliriis vlterius hære-
tis? si id quod ne spectari quidem
meretur, merito vanum aut inane

appel-

appellatur, quid eſt cur libeat ſyderali augurio, pluſquam incerto mari fidere? Nihil hic neceſſe erit Ariſtotelis de futuro contingenti ſententiã adducere, nihil aliorũ philoſophorũ de inconſtanti rerum cuẽtu opinionem proferre. Deniq; quis non ſole meridiano clarius videt? vix quartã partẽ eorũ pręſagiorum, quę illi in vulgꝰ effutiunt, priꝰ demóſtratum finẽ ſortiri. Imo quis tã eſt hebes? aut nullius memorię qui nó plura ſecus, & ex diametro pręmóſtratis pugnãtia cótigiſſe meminerit? an immerito igitur miramur? qua fróte audent, tã ridicula palã prę ſagia, cordatis hominibus cóſide rãda proponere. Omnis profecto

scientia, qualiscunq; sit, est de veris, certis, & immobilibus, verum Astrologia, quæ sępissime de falsis, semper autem de incertis, est & inconstantibus, dicite mihi omnes Prognostę, qua ratione scientia appellari obtinet? quod si hæc vestra vaticinãdi methodus, inter eas quæ de certis & æternis constant scientias nequaq̃ sit annumeranda, quid aliud est hoc vestrum scire nisi ineptire, vt nec ipsa μωρία quicq̃ stultius excogitare possit. At saltem aliquid emolumenti, prædictiones vestræ, quamlibet incertæ, reipublicę adferunt, & quod deest artis certitudini, id præstatis vtilitate. Immò quantis potiùs malis ciuitatẽ vestris

vestris pręsagiis oneratis (nõ dico de horribilib⁹ portẽtis, ex quibus futura ominari soletis) sed quantã annonæ caritatem reipub. inducitis dũ rustici (vt cõpertũ habeo) vestris de aëris intemperiè fidentes oraculis, suas merces tãcallidè & prouidè disponũt, vt in omni rerũ abũdãtia, Sagũtinã pœnè famem, plebecula patiatur. Quid? an tacendũ est quam segniter ad instaurandum dei cultum, populus ridiculis Nostrodami vaticiniis seductus, superiore anno accederet? Deus bone, quæ trepidatio? qui metus? quę expectatio? quantus horror? ne subitò omnia sursum deorsum ruerent, adeo vt nemo propemodũ

eorum qui aliquid prognoſticis tribuer ẽt, religionẽ ſuam vel fidẽ pectore incluſam profiteri auderet. Porro tam tyrannicè Noſtro dam⁹ hic cum ſuis augurijs regnabat, vt ſine eius auſpicio, nihil geri potuiſſe putabatur. Quid referã vulgi voces? hodie Romanum pontificem è cõſilio parliamenti excludi neceſſe eſt, cras regina ſu premi capitis titulũ accipiet, poſt viginti dies, omnia in deterius ruent, ante menſẽ certò ſcilicet die, futurus eſt extremus iuditii dies. Vt niſi concionatores verbi diui ni populũ vbiq; vaticiniis hęrentem, acrius caſtigaſsẽt, nullus fuiſſet expectatiõis aut trepidatiõis finis. Sed ô callidũ Noſtrodamũ

qui

qui ſuas prȩmonſtrationes, tam obſcuris tenebrarum inuolucris, inuoluebat, vt nemo vel ſenſum vel intellectum certum elicere potuiſſet. Næ, ille audiuit Appollinis Delphici oracula, quȩ di abolus ex idolo dabat conſulẽtibus, ambigua ſcilicet et quȩ in vtrãque partẽ euenire poſſent, cuiuſmodi eſt illud, quod Pyrrho ſciſcitanti reſponſum eſt:

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe,

Nec illud diſſimule, quod Crœſ⁹ cõtra Cyrũ bella geſtur⁹ accepit.

Cœſus Halim pœnetrans magnam peruertet opum vim.

Adeò vt in quẽ velis ſenſũ detorqueri poſſint. Pyrrhus cum victoriã ſibi de Romanis promitteret, potuiſſet ſe quoq; vt factum eſt, à

Romanis superandũ intelligere. Similiter & Crœsus, dũ Cyri opes tã immensas subuersurum se oraculo fisus crederet, suas ipsius diuitias, regnũ deniq; & quicquid possederat, in pernitiem adduxit. Eandem formam secuta est & Sibilla Cumana, de qua Vergilius refert, quod,

Horrẽdas canit Ambages antroq; remugit.

Deniq; omnes, qui Cacodæmonis numine afflati, futura prædixerunt, aut obscura, aut ambigua respõsa, petentibus dederunt. Eũdẽ morẽ λοξα καὶ ἐπαμφοτερίζοντα. respondẽdi nostri Prognostę, ab Ethnicorũ vatib⁹ acceptũ, in hũc vsque diem obseruãt. Nec solum Nostrodamus ambigua aut obscura

ſcura refert, ſed etiam noſtrates plurimi. quemadmodũ Cuningamus vir alioqui doctus & probus, ſed huius artis non vulgaris profeſſor, Louus, Pouellus, olim etiam Aſchamus, et ſexcenti plures, inter quos iam memorati, primas, meritò vendicare poſsunt, quod non verius reliquis vaticinẽtur, ſed quod (vt ipſi profitentur) aſtrorum curſum ad meliorem calculum reduxiſſe videantur, & ne calumniari me aliquis exiſtimet, referre libet nonnulla ex eorum libellis, in quibus amphibologicam vaticinationem palam notabimus. Propter Saturnum in Tauro inquiunt & Eclipſim in Aprili ſeditiones

in vulgo ſequentur, ſed illas Mercurius ſua facundia ſedat, ſimiliter, Mars hoc anno, pręſtabit Angliam multis malis immunẽ niſi Lunę defectus audaciam eius minuerit. Haud aliter de tritico, hordeo & auena, pronunciant, bene illis ſucceſſurum, niſi humiditas, calor, aut aliqua alia intemperies aëris eiſdem ſit nociua, poſtremò iſtuc pene eſt generale, ſi abſq; illatione falſũ ſi cũ exceptione prędicunt, quocunq; modo eueniat ἀκινδυνόν ἐστι τὸ σφάλμα. Quin etiã ipſi fatẽtur, plurima eſſe impedimẽta, quo minus multa eueniãt, nõſolùm cœleſtia verumetiã inferiora. O pulchrã ſciẽtiã, ô diuinã cognitionem, quã tot cauſę fruſtran-

ſtrantur & ad nihilū perducant. Quorſum igitur tot prohibitiones chirurgis? nequicq̃ niſi ſuo tẽpore agrediãtur, an in πλευριτιδι expectabunt ſeptẽ dies, priusq̃ venã ſecent? cur non prohibetis veneno infectis antidotum ante ſignū confortandæ virtuti expulſiuæ idoneum præberi? Sed hæc tã dilucidè, à doctore Dacqueto, ob oculos hominum poſita ſunt vt niſi adhuc, huiuſmodi cautiones ab iſtis proponerẽtur, fruſtra ego, vel mentionem eius abuſionis facerem. Satis ergo vt opinor, de inconſtantia & incertitudine harum prędictionum, ſatis etiam de incõmoda earũdem obſeruatione diximus, nũc vero ad illud

accingamur, quod si oēs quot-quot sunt Prognostæ, aut eorū ad miratores, sine fraude amouere possint, & suā artē alioquin euertēdā, tuebuntur, & Fulconē, post tantam contentionē, summo cū dedecore palinodiā canētem habebunt. Atque vt paulatim, ad id quod volumus, quodque intēdimus progrediamur, cōmune hoc esse omnibus scientiis affirmare audemus, vt demōstrari possint. Nā & si principia & axiomata in vnaquaq; arte eius naturę sint, vt per superiora persuaderi nequeāt, & idcirco probari nō posse dicantur, tamen demonstratione, aut inductione ita ob oculos possunt poni, vt nemo dubitare velit,

quin

quin vera ſint & certiſsima. Aut enim manifeſta figura oſtendun tur, ita prorſus ſe habere, & impoſſibile eſſe, vt aliter quam ſic, de iis iudicemus, aut enumeratione ſingulorum, idem vniuerſale, perpetuò concluditur. Propterea, huiuſmodi fundamentis omnis ars nititur, vt illis firmiter poſitis, admiranda ſuper eadem ædificia conſtruantur. Quod ſi fundamenta, quæ ſtabiliſſima eſſe oportet, in aliquo vacillent, ſtatim vniuerſa moles, ingentem paſſura ruinam, collabitur. Aſsidua nẽpe experientia docet, nullam ſtructuram firmam aut diuturnam eſſe, cui primæ baſes, non ſunt fideliter ſuppoſitæ.

Nec

Nec aliud ratio instillat, quę principiis obstãdum pleno ore clamitat. Hoc ipsũ cũ in cõstruẽdis domibus quotidie videam⁹, etiã in omnib⁹ scientijs, si curã adhibere voluerimus, perspiciemus, quẽadmodum in Geometria cum dici solet, ab omni puncto, ad omne punctum rectã duci lineã, istuc exẽplo demõstrari facillimũ est. Sic quoq; pronunciatur, tres angulos triãguli, esse duobus rectis, pares. Si hoc in singulis triangulorum generib⁹, orthogonio, oxygonio, ęquilatero, scaleno, et alijs ostendatur, apertè intelligemus quod postulatur, & quod hic in paucis idem omnibus commune esse αἰτήμασι, vel mediocriter in sci

entijs

entijs verſatus, nouerit. Sed inſur
get aliquis forſan prognoſta, &
hoc quod facile, in his quę prope
modum ſenſu percipimus demõ-
ſtratur, ìdem in remotioribus vix
oſtendi poſſe cauillabitur, quem
admodum magnitudines ſyderũ
& eorum diſtãtias à terra aut à ſe
inuicem an nõ docent homines
eruditi? ſolẽ cẽties, ſexagies, ſexies
terra maiorem, lunam tricies, no
uies terra minorẽ? Fatemur ſanè
hęc eſſe ardua, & quæ vulgo vix
perſuaderi poſsunt nihilominus
quantumuis ardua ſint, & dif-
ficilia cognitu, eſt aliquis modus
quo ad ſciẽtiam horum peruenì-
tur, habemus ſcalam altimetram
terræ vmbrã, qua ad cœlum aſcẽ-

Con-

dimus,& complurima quæ craſſis ingeniis vix cõgruere poſſunt cõtemplamur. Verum nullo modo huius ſimulatæ artis Aſtrologię ſcilicet principia,vel demonſtrari,vel ꝓbari eſt poſſibile,nullum eſt mediũ, quo ad tantã cognitionẽ penetrare humanũ que at ingenium, nulla methodꝰ eſt, nulla inductio, quę veritatem eorũm,quæ illi pro principijs accipiunt,expedire valeat. Nunc itaq; vt dixi quaſſatis arcis fundamẽtis,tota hæc Aſtrologica cõgeries magno fragore cõcidet. Et quemadmodum rei bellicę duces periti,cum turrim,caſtellũ, aut quod uis hoſtium munimẽtum,funditus proſternere in animo habeãt,

ſub-

subterraneis cuniculis fundamẽ ta laxãt aut suppositio puluere ful mineo, vniuersã materiã subuer tunt: ita dũ nõ solum inutilẽ ve strã cognitionẽ monstrare, sed eã perpetuis obliuionis carcerib⁹ dã nare, studeamus, nullam prorsus nisi fictam hanc esse scientiã, cõ tendimus. Nam qua ratione de mõstrare potestis? Saturnum esse tã noxium, tã malicioſum, tã pe stilẽtem? an inductione persuade bitis eum huiusmodi portẽdere? quid si dominetur (vt ipsi loqui mini) in natiuitate principis, bel latoris aut sãguinei, imò nihil fre quẽtius fallere videmus, quã Ge neologicas prædictiones, quo modo igitur affirmare valetis istud

iſtud ſydus tãta hominibus mala immittere. Ipſe certè videor probabili ratione conuincere poſſe contrarium. Nã Saturnus qui eſt remotiſsimus à terra, non eſt veri ſimile, vt maxime terreſtrẽ naturam ſortiretur, preterea qui ſuperiore loco Veneri ſitus, & propiore ad immenſam illam extenſionem (quàm Hebręi עריץ appellant, poſitus, deterior eſſe nullo modò poteſt. Quam ob cauſam eſt ſalutare magis Iouis aſtrum Saturno? quo in terris regnante, aureum ſęculum teſtatur, eadem fuiſſe vetuſtas, quę Ioui blandiendo præſtantiores tribuit effectus, quam patri. Porro quã iniquum eſt, & ab omni ratione alienum?

ipsum solem sine quo reliqui pla
netę nō plus decoris habent quā
terra, inter bonos & salutares vix
annumerari posse, qui vitam ca-
lore, lucem splendore, lętitiam a-
spectu, omnibus rebus præbet, si
iuxta rationem Prognostica ars
excogitari deberet, primas in-
ter omneis stellas, tam erran-
tes, quam fixas obtinere meritò
debuisset. nec minus luna quæ
humores regit, secūdas soli habe-
ret, præcipuè in animalium cura,
quia his dnobus calido scilicet &
humido, quorū huic luna, illi sol
pręest, omnis vita cōfertur & con
seruatur. Quo argumento indu-
cti trinum aspectū, quadrato prę
ponitis, nonne quatetnarius nu-

rus apud Pythagoreos (qui numeros adamussim eallebãt) & ad eos omnia referebãt multo sanctius colebatur reliquis, adeò vt per eũ iurare sint soliti. Sed propter sacrã triadã ternarius melior censetur. Demus trinum esse bonũ, ideónc sequitur quaternarium, quo numero Deus elementa, qualitates, et entia perfecta cõclusit, esse malum? Quid persuasit vobis, vt crederetis, duodecim signa Zodiaci tam diuersis qualitatibus pollere, etiam ratione iudice, repugnantibus naturæ. Arietẽ nẽpe vultis esse igneũ, qui sit veris prĩcipium ĩsuper & Taurũ vernale signũ, naturæ terrestris esse docetis, quod quãtũ ratiõi repugnet, quiuis per

spe-

ſpexerit, qui ver ad aerem aptè referre nqueat. Cancer etiam æſtatis initium, aquaticum ſignũ perhibetur. Quam ſunt igitur ridicula, & inania veſtra principia, quę vos nullo modo demonſtrare valetis, etiam ſtulti videte poſſunt, vt qui æſtiua ad aquam, aerea ad terram, tam inepte reducatis. Ad hæc nõ mediocris cognitio apud vos requiritur, vt vnicuique planetæ, ſua ſigna, quis aſcribere queat. Sed hîc, quãtum à veſtra ipſorum doctrina diſſidetis, ipſe Choræbus, ſi adeſſet, intelligeret. Cum in quatuor claſſes duodecim Zodiaci ſymbola diuidere ſoletis, aliis terream, aliis aquam, aliis aeream, aliis deniq;

igneam, naturã attribuitis. Haud ſecus, cum οἰκοδεσποτικὸν famulantia ſigna conceditis, quędam Ioni, quædam Saturnò, & reliquis etiã ſua ſydera aſcribitis. Sed hoc cũ ſilẽtio, prędterire nequeo, quod pœnè vnuſquiſq; οἰκοδεσποτικὸν famulos tam abhorrentes à ſua natura, domi ſuę alere velit, quod ſi his miniſtris vtuntur, in perducẽdis operibus ad finem, miror quo modo non potius ſuam, quã dominorum exequantur voluntatẽ, exempli gratia: Saturnus terreſtris, attendentem illi habet Aquarium ex aëris qualitate cõflatum: Iupiter aereus, duobus miniſtris vtitur, Sagittario & Piſcibus, quorum hic eſt aqueus, ille igne-

igneus. Quinetiam Mars calidus & siccus, ministerio gaudet Scorpionis, frigidi & humidi, Venus, frigore & humiditate plena, Taurum terrestrem, & Libram aereũ signum, seruiẽtes sibi habet. Mitto hîc domorum, angulorũ, dignitatum, & reliquorũ huius generis commentitias differentias, quorum si vel vnum principium, solida ratione exp̃licare possunt, facilior ad alia defendenda aperiretur via. Iam verò cũ nihil habeant quo fidem faciant, de suorum veritate principiorum, restat vt ipsa ars ex propositionibus falsis in immensum coacta, & constructa, remota hac tam infirma basi, corruat. Hæc eo frequentius

inculco, vt omnib⁹ pateat, quãtas ampullas isti iactant, & effutiunt dum eam quæ prorsus nulla est, caussam, pro vera certaq; caussa ponant. Et enim qua ratione Saturnus hoc aut illud portendat, nec ipsi nec quisq; alius nouit, & quod de Saturno diximus, idem de reliquis omnibus significantibus signis dictũ puta. Nisi fortè ἀποκαλυψιν aliquam illis datã gloriari velint: quod si nõ erubescũt fateri (vt est eorum demẽs audatia) quod nunc pœnitentia, facilè corrigat erratum, in meram insaniam mutabunt. Cõcedamus illis priuatas reuelationes, visiones & phantasmata (hoc enim modo stultitiam eorum superbia augebimus,

bimus & cumulabimus) nihil tamen illis fidendam nouimus. Et vt id clarius explicemus, cum nõ ſint omnes apocalypſes eædem, in duas ſpecies eas partiamur. Aliæ enim fiunt reuelationes, à bonis angelis, aliæ à malis. Quæ fiunt à bonis, huiuſmodi ſunt, vt vt natura bonorum ſpirituũ eſſe ſolet, hoc eſt, verę, vtiles, & in ſũma bonę. Malorũ dæmonum oracula, cũ ipſis qualitate cõſentiũt, videlicet falſa ſunt, nociua & inhoneſta. Hæc igitur apocalypſis qua initio Aſtrologiæ principia, reuelata ſunt, vtri⁹ generis ſit pauçis cõſiderem⁹. Principia ſanè hęc quã ſint incerta, & vt apertè dicã falſa et experiẽtia aſſidua mõſtrat

& satis luculentè superius docuimus. Quãdo itaq; hęc cognitio à bono Angelo aut spiritu non manauit, an velitis eam à malo proficiſci, an à neutro, vobis (Aſtrologi) optio datur. Interim aut artem veſtram deſinite palã venditare putidam, aut ſaltem principiorum veſtrorum aliquam fidem incredulis facite. Vtrũ prę-ſtituri eſtis, breui perſpiciemus; nam ſi tacetis, vicimus, & triumphũ tanq̃ de ſuperato veſtro Atlante celebrabimus. Sin aliquis veſtrum tam ſit perfrictę frontis, vt comminus pugnare audeat, ſi potior in armis inueniatur, ſucoumbemus: ſi non valeat noſtros perferre ictus, arce prognoſtica

stica potiemur, & omnia ferro, igne & fame, deuastabimus. Nostra iam tela, & numero & impetu satis magno, in hostium cateruas proiecimus Nunc autem superest, vt missa ab illis tela repercutiamus, aut saltem vt irritis ictibus aerē verberantes volent, amoueamus. Et vt exordiamur ab ea parte inqua, non minima in fiduciam collocant: audiui per multos qui suam diuinationem, ex sacris literis cōfirmare se velle gloriarentur. Qui cum per contentionem coacti essent, pro sua defensione quę scirent promere, ex primo Geneseos capite, syderalē vaticinationē astruere cupiebāt. Nam cum Deus sapientissimus

ille

ille naturæ opifex cœlum & terrã uerbo omnipotente creasset, lucẽ etiam factam à tenebris distinxisset, firmamentũ in medio aquarum posuisset, aquas quæ prius vniuersam terræ superficiem operiebant, ad animaliũ quę creaturus esset conseruandam vitam, in vnum locum congregasset, terrã deniq; amœna arborum & herbarum virentiũ veste ornasset, quarto die luminaria ad distinguendum inter diem & noctẽ creare statuisset, vsum illis proprium designauit dicens, erunt in signa, in statuta tẽpora (sic enim vocabulum hebraicè sonat) in dies & annos, Et erunt luminaria in cœlo, ad lucẽdũ super terrã, cuius æter-

nã volũtatẽ, effectus statim sequũ t⁹ est. Fecit enim de⁹ duo lumina ria magna, alterũ maius, vt diei, alterum minus, vt præesset nocti, & stellas. Hic sibi mirum in modũ applaudunt prognostæ, quod Deus luminaria, in signa ordinauerit. Sed quantulum hęc signa faciunt, ad eorum prędictiones, qui verborum ordinem, & discursum notauerit, facile perspiciet. Nam quod sequitur de temporiribus statutis, diebus & annis, qualia futura sunt signa, mihi explicare videntur, videlicet erunt argumenta veris, ęstatis, autumni, hyemis, dierum naturalium, Artificialium, Annorum Solarium, Lunarium,

& sic de reliquis, et cum præcipuè de Sole & Luna agatur, si per signa præsagia intelligere velimus, erunt signa caloris, cũ Sol appropinquat, frigoris cum recesserit, humoris abundantię cum Luna crescet, contrarij cum decrescat. Postremo si necessario fatalia signa intelligere velîtis, nihilominus tenet argumentum, cum nescîatis quid significent sydera, nõ potestis ex eorum aspectu, futura prędicere. Cęterum sunt, qui vt ipsis videtur, multo firmius, corroborare scientiam nituntur, dũ concedi à nobis, omnia in terris virtute cęlestium signorum, geri regiq; postulant. Equidem non sum tam duri oris, vt tanta cala-

mitate

mitate oppressis Astrologis, tantulum negare velim. Quin potius plura petitis largiar, & quæ obstinatis inficiarer, eadem nunc ad extremam anchoram cõfugientibus benignè concedã. Superiora (inquit Aristoteles) omnia in inferiora hæc corpora agunt, omnis inferioribus virt⁹, desuper venire credatur, nec vsque adeò contẽdimus, Mercurij illius Trismegisti, causarum à Deo ad angelos, ab his ad cœlos, non inconcinnam deriuationem ad Fortunam seu Fatũ quam ille ἑιμαρμένην vocat spectare. Tribuatur vnicuique planetę suus οὐσιάρχης. Postremo non video, quo modo multum causę nostrę susceptę officeret,

ret, si qđ maxime cupiãt, quodq; ardentissime efflagitẽt, fateamur cœlestia sydera humanis rebus præesse contingenter, hoc est tanquam inclinatio quędam, aut tacita aliqua motio (non enim fatũ si est ex syderibus mutari possit) astrorum vero significationes, & ipsi experientia discimus, nec refragãtur prognostę, variis modis auerti aut in aliud commutari. Quando igitur istud quod cogi nequeat, spõte dederim, expecto quid inde adiumenti ad vos trãsferre possitis. Atque adeo iam exultantem prognostam audio, si stellarum cursus reuolutiones, aspectus, tam potenter in his rebus subcœlestibus vires suas exerceãt

erceant, vt multorum euentuum in terra cauſę eſſent. Quis eſt ille Fulco? vt propoſitionem tot doctorum ſcriptis teſtatam, tot ſęculorum ſuffragiis approbatam, inficiari velit, videlicet poſita cauſa effectum neceſſario ſequi, qua ratione cauſſam aſtruere effectum negare audeat? Sed hęc tam magnifica verba, quid demũ ſunt niſi mera verba? quippe vnicuique cauſſę ſuum effectum tribuo, nec tamen effectum ei quæ non eſt cauſſa concedo, aut ſi eſſet cauſſa hunc quem volunt ipſi effectum eſſe, nequaquam dabo. Non enim ipſi nouerunt, quid cauſſentur, aut portendant ſydera, ſed à maioribus, ſine vllo fun-

fundamento, traditam artē amplectuntur, & quasi diuinam cognitionem colunt, quę non plus diuinitatis aut veritatis in se continet, quam Chaldęorum reliquę superstitiones, quę etiam adhuc extant, à quibus hæc scientia deriuata est, quam omni ęuo, docti & eruditi philosophi cōtempserunt, & pro nihilo habuerunt. Nec solum Ethnici, vt Porphyrius, qui apud Iamblicum impossibile ait esse, vt quis significationem reuolutionis sydereæ sciret, ipse Iamblicus, qui negat aliquam virtutem ad res agendas à stellis infundi, & multi alii, fictam hanc artis ostentationem, spreuerunt. Sed ipse Hieremias, clamosa voce

vetat, præsagia ex syderum aspectu deducta, Israelitas, sicut gentes metuere. At idcirco nihil significant? Quamobrem quęso non sunt timenda? aut quia nihil significant, aut quia euentus eorum est incertus & hominibus incognitus. Quid? nonne Apostolus gentium Paulus, Titum suum, ne Geneologicas vanitates, curiosas & superfluas curet, hortatur. Quorsum tãdem? non timere Hieremias, non curare Paulus, Astrologicas vaticinationes moneant, si in illis aliquid, aut metuendum aut curandũ esset. I nunc & horribilibus minis, populum perterrefacito, proclamato calamitatem futuram maximã pestis

bellorum, famis, & si quid istis grauius est. Admonete eos subitæ ruinę, quemadmodum Cuninghamus biēnio ab hinc Aegypto, Babyloni, Constantinopoli, & ciuitatibus Italiæ calamitosissimā subuersionem, minatus est. An non grauiter timendum esset Italis, Aegyptiis, Græcis, Chaldæis? cum tanta illis ex astrologorum sententia imminerēt mala? Quis non timuisset? nisi qui Hieremię vaticinia, Cuninghami oraculis, nescio quam prępostere, pręponere voluisset. Similiter qui mauult prognostas quam Paulum audire, nonne erecta natiuitatis suæ figura, quæ assecuturus esset bona & mala prouideret

deret? eo modò vitare mala, bona ad euentum perducere studeret. O stupidum caput, quo pacto vitam instituere decreuisti? vt opus esset euentuum tuorum prędictione, An quasi brutum animal vitam deges? vt omnia in te agere sinas? quorsum tibi ratio? qua non vteris, immo abuteris. Cognito natalis tui vaticinio, bona assequi, mala vitare conabere, an non hoc idem feciſſes, nequaq̃ cõsulto vate? Quãdo tandem desinet orbis, hęc ridicula admirari? At Berosus Chaldæus, idem antiquissimus historiographus, refert sanctum Noach, ex aspectu syderum vniuersale diluuium præuidisse, & vt immi-

bellorum, famis, & si quid istis grauius est. Admonete eos subitæ ruinę, quemadmodum Cuninghamus biēnio ab hinc Aegypto, Babyloni, Constantinopoli, & ciuitatibus Italiæ calamitosissimā subuersionem, minatus est. An non grauiter timendum esset Italis, Aegyptiis, Græcis, Chaldæis? cum tanta illis ex astrologorum sententia immineret mala? Quis non timuisset? nisi qui Hieremię vaticinia, Cuninghami oraculis, nescio quam prępostere, prępponere voluisset. Similiter qui mauult prognostas quam Paulum audire, nonne erecta natiuitatis suæ figura, quæ assecuturus esset bona & mala prouideret

deret? eo modò vitare mala, bona ad euentum perducere studeret. O stupidum caput, quo pacto vitam instituere decreuisti? vt opus esset euentuum tuorum prędictione, An quasi brutum animal vitam deges? vt omnia in te agere sinas? quorsum tibi ratio? qua non vteris, immo abuteris. Cognito natalis tui vaticinio, bona assequi, mala vitare conabere, an non hoc idem feciſſes, nequaq̃ cõsulto vate? Quãdo tandem desinet orbis, hęc ridicula admirari? At Berosus Chaldæus, idem antiquissimus historiographus, refert sanctum Noach, ex aspectu syderum vniuersale diluuium præuidisse, & vt immi-

nens periculum deuitaret, archã, ad ſuã vxoris, filiorum, et nurium animalium denique omnis generis vitã conſeruandam ædificaſſe. Nonne igitur plurimum confert ad vitam? tam antiqua & vetuſta ſcientia, qua vſus eſt ſanctiſsimus Patriarcha, cuius beneficio, humanum genus, pecudes, & quicquid in toto orbe vtile aut iucundũ fuit, ab interitu olim ſint vindicata? Hoc nõ leuis & ſpernendus author tradidit, ſed ipſe Beroſus Chaldæus. At Moſes Hebræus, idem æquiſsimus legis lator, & hiſtorię ſcriptor, vt vetuſtiſſimus, ita fide digniſsimus, teſtatur ipſum Dominum Deum, ad Noach locutum, atque hæc illi

de

de futuro diluuio, prædixisse, insuper vt Archam fabricaret, imperasse. & ne de augurio syderum adhuc Prognostæ somniarẽt, formam & mensuram certam ædificandæ nauis, eidem præscripsisse. Vbi ergo est iactantia de vetustate, & necessario vsu artis Astrologicæ? vbi gloriatio de patriarcha Noach quẽ vos vestræ stulti tię patronum esse cupitis? Credemus ne Mosi qui diuinitus reuelata scripsit? an Berosо? qui apud superstitiosos Chaldęos excogitatam artem euehere studens, inundationem eius vsu prędiuisam, imaginatus est. Quo nunc igitur salutis vestræ proram vertitis? Deserunt vestras partes Noach, Hiere

mias

nens periculum deuitaret, archã, ad suã vxoris, filiorum, et nurium animalium denique omnis generis vitã conseruandam ædificasse. Nonne igitur plurimum confert ad vitam? tam antiqua & vetusta scientia, qua vsus est sanctissimus Patriarcha, cuius beneficio, humanum genus, pecudes, & quicquid in toto orbe vtile aut iucundũ fuit, ab interitu olim sint vindicata? Hoc nõ leuis & spernendus author tradidit, sed ipse Berosus Chaldæus. At Moses Hebræus, idem æquissimus legis lator, & historię scriptor, vt vetustissimus, ita fide dignissimus, testatur ipsum Dominum Deum, ad Noach locutum, atque hæc illi

de

de futuro diluuio, prædixisse, insuper vt Archam fabricaret, imperasse. & ne de augurio syderum adhuc Prognostæ somniarẽt, formam & mensuram certam ædificandæ nauis, eidem præscripsisse. Vbi ergo est iactantia de vetustate, & necessario vsu artis Astrologicæ? vbi gloriatio de patriarcha Noach quẽ vos vestræ stulti tię patronum esse cupitis? Credemus ne Mosi qui diuinitus reuelata scripsit? an Berosо? qui apud superstitiosos Chaldęos excogitatam artem euehere studens, inundationem eius vsu pręuisam, imaginatus est. Quo nunc igitur salutis vestræ proram vertitis? Deserit vestras partes Noach, Hiere-

mias

mias & Paulus vos oderunt, Porphyrius, & Iamblicus contemnũt, quis igitur erit anteſignan⁹? quis laudis veſtrę buccinator? Ptolomæus tantum vobis tribuit quantum ventis, nam pręſagia veſtra neminem aſtringere affirmat, ſed volentes trahere, cauſſa eſt igitur voluntas eorum quę fiunt, non ſtellę, nam in nolentes, nihil ſydera poſſunt, & volentes impedire nequeant. Iſtuc ſi eſt verum, vt eſt veriſsimum, quid tandem poteſtatis ſyderum influxibus relinquitur? Fatemur (inquiunt) eorum actionum quę ab homine fiunt ipſam voluntatem eſſe cauſſam impellentem, ſed eorum quę extra hominem

ſunt,

sunt, hoc est, quę pro suo arbitrio regere non potest, effectrices sunt stellę, vt quod fortuito euenire vulgo creditur, id syderum virtute gubernatur. At quorsum illud spectat? quod à doctissimo viro prolatum omnes suo cõsensu affirmant, quod scilicet, Sapiens dominabitur astris. Nonne hoc significatur? astrorum præsagia, etiamsi cognita essẽt, non ita magnam virtutem in rebus humanis exercere, quin eam longe sapientis consilium superet, vt merito astris, & syderum influxui sapiens dominari, & præesse dicatur. Verum aliquando euenire solet, vt ex horoscopo natiuitatis, futuram hominis

vitam aut modum vitæ, aut mores denique prędicatis. Neq; multum in hoc contendimus, quin cum toties & tam varia prędmonstretis, impossibile sit vt non aliquid auguriis vestris respondeat, hoc tamen casu accidit, non arte paratur. Etenim qui reuolutionem illam prudenter & diligenter animo reuoluit, persuaderi certò nequit, vt tam momentanea cœli facies, aliquid in tam longũ tempus potenter efficeret. Nam puncto temporis, in aliud atq; aliud perpetuò mutatur. Atque hinc est quod ad miranda opera, parum aut nihil conferre Astrologorum differentias temporum, censet Iamblicus. Quin etiam

Astro-

Astrolog⁹ quidam seu χαρομαντις Ioannes Indagine, fluxam illam cœli reuolutionem, multò minus pollere affirmat illa, quam is natu ralem Astrologiam vocat, ad duo decim horoscopos omnes hominum conditiones reducens. Propterea tam is, quam alii, adeo mul tas & varias qualitates vnicuique ex natiuitate ascribunt, vt necesse sit nonnullas earun dē omnibus inesse, vt qui ad iram, superbiam, amorem, miserationem propensos esse dicant, cum nemo sit qui has et similes affectiones in semet ipso non reperiet. Sed nescio quo modo acciderit, vt vnicuiq; astro nomē sit inditum, quod nōnunquam ex significatione eius syderis

ris accipi videatur. Non ab re fuerit igitur, de nominum ratione paucis disseruisse, ne forte Astrologi ex iisdem (tanquam ex cutice Elephantum) colligant. Principio itaque nomina quibus appellantur sydera non esse ex sui natura, sed propter alias causas ab hominibus accomodata stellis, testatur Sacroboscius, cui etiam astipulatur Vergilius, Georgicon libro primo.

Nauita tum stellis numeros & nomina fecit,
Pleiades, Hyadas, claramq; Lycaonis arctō.

Verum non omnia sydera eadem ratione appellationes sortita sunt videntur autem omnes propter distinctionem prȩcipuè inditę, vt Bernardus Syluestris pulchre

pulchrè dicit.

Communi ne voce rei generalis oberret
Quæ modo sũt stellis nomina fecit homo.

Ex nominibus autem quædam propter formam, quam in cœlo spectantibus habere videntur, attributa sunt, eius generis sũt, plaustrum, deltoton, Corona, spica, Argo nauis, anguis, lyra, & similia. Alia vero propter peculiarem locum in quo sita sunt, vt Aries & gregis & signorum primus, Cancer animal retrogradum, illi signo in quo vertitur sol ad inferius hęmisphærium, nomen dedit, Libra æqua lance pondera, dies etiam & noctes æqui librat, Aquæ fusor & Pisces humorum abundantiam, quæ est cum sol

ea loca occupat denotat Caper, qui in pascendo erigit se, & rupibus pẽdere videtur, visum est appositum nomen ei signo tribui in quo cum Sol versatur, ab antipodibus ad nos indies erigitur. Plurima autem vocabulorũ, quiquibus stellæ distinguuntur ab Ethnicis, partim principibus suis blandientibus, partim regum suorum, quos in terra suspiciebãt animas in cœlum translatas, syderibus dominãtes credẽtibus, imposita sunt. Hinc igitur Saturni, Iouis, Martis, Mercurii, Veneris, Orionis, atque aliorum infinitas appellationes, vetustas indidit. Recentiores forsitan ex qualitatibus, quas ipsis stellis ascribunt,

quędam

quędam nomina aut mutarunt, aut retinere se putant. Sed hoc est imprimis notãdum quod ipsi ex nominibus qualitates deriuare sę penumero solẽt. Quemadmodũ Cancro qui piscis est in littore, etiam in cœlo, aquea naturam attribuũt. Similiter Tauro quod est est animal melãcholicum, etiam inter signa terrestrẽ naturam assignant. Arietem etiam cœlestem, ouibus in terra præesse volunt, quemadmodum Taurum bob⁹. Sic etiam Saturno, qui à Poetis Deus latitans perhibetur, melanlãcolicas qualitates tribuunt. Iupiter vero qui in fabulis benign⁹ reperitur, etiã planeta beneuolus censetur Venus amabilis & clemens

mens etiam in sydera naturam su am retinere dicitur. Mercurius ve ro qui fur erat & versutus nunc e- tiam in Deorum numerum rela- tus instabilis est & inconstans, nam ad quoduis consortium se accommodans, cum bonis bo- nus est, cum malis vero iisdem natura consentiens. Atque hoc modo significationes astrorum iam ab ipso fonte à quo petuntur deduximus, vnde quiuis cernere queat, qua ratione principia eorũ constant, ex quibus se tanquam deos præsentia, futura, & præ- terita cognoscere mentiuntur! Sed heus tu? An non tres Magi ex syderis aspectu in oriente, na- tum Christum intelligebant? &

co-

eodem duce ad natalem eius locum adoraturi eum peruenerũt? quomodo igitur ſyderum præſagia aſpernanda vociferaris? ſi hoc ad veſtram artem confirmandam detorquere ſtudetis, eadem ratione, innumera quę id temporis fiebant portenta, iuxta naturæ ordinem facta concludemus. Deo nempe omnia miniſtrabant, etiam ipſa natura, vt appareret eius potẽtia, conſueto ceſsit tramite, & ſtupenda admodũ id temporis contigerunt miracula, adeo vt conſulti aruſpices, Magi, & quot quot futura prædicere ſolent, referebant, naturam rerũ omnium creatarũ parturire dominum. Reliquũ eſt, vt Cũinghami

confu

confutationes, in epistola quadã quam inuectiuam suam vocat, eâdẽ qua cætera virtute dissoluamus. Videtur sibi Cuninghamus ad duo capita, omnes aduersariorum suorum calumnias, appositè reduxisse. Quorum prius est inimicam esse hãc cognitionem medicinę laudatissimę scientiæ, alterumnó posse, Astrologum ex suis syderibꝰ futura pręcognoscere. Contra prius, ad medicę artis principem Hipocratem, in libro de aëre, aqua, & locis, nos relegauit. Cum igitur necesse esset, vt hunc libellũ perlegerem (quãuis alienũ à mea professione,) mutuo acceptum, pro ratione temporis & ingenioli captu eum tam

Grę-

Græce quam latinè perlegi. Et sanè quantum memini, marginales notę in latina versione bellũ mihi cum Hipocrate proclamabant, cum autem ipsum consulerem, nihil amicius eo cognoui, vt qui astrorum cursum ad tã vtilem & necessarium vsum (de fatalibus signis nusquam somnians) accommodaret. Verum quando forsitan vltra crepidam videbor ista disserere, à Doctore Cuninghamo doceri perquam cupio, quod Astrologię stabiliendę argumẽtum, ex hoc libro colligat. Interea ego quæ legi & intellexi, proferam. Multus est Hypocrates in ortu signorum, seu stellarũ, Pleiadum, Arcturi, Canis, & alio-

rum, quę omnia ad temporis qui est his orientibus, aut occumbentibus statum, manifestè sunt referenda. Nec hic solum, sed & alibi in Aphorismis id agit Hypocrates. Quocirca Astronomiæ, non Astrologię ad medicinam vtilem esse cognitionem cõcludit, quia per astrorum cursum præuidere posit medicus, multa ad artem necessaria. Non quod stellę aliquid pręsagiant, sed quod eorum ortus aut occasus huiusmodi temporis rationi est coincidens.

Secundo arguitur apud Cuninghamum in sua inuectiua, futura ex aspectu syderum pręcognosci posse hoc scilicet argumento. Si Nauta ex suis signis tempestatem predi-

predicere imminentem, medicus ex suis presagijs morbi incremen tum, aut prescire declinationem, rusticus ex suis auguriis anni sta- tum sequiturum colligere possit. Cur non doctus astrologus, ex su- is syderibus euẽtura premonstra- re queat? Et vt exemplo res dilu- cidior fiat, Mars calidus est & sic- cus, iam si plurima signa concur- rere ignea, cum hoc animaduer- tat, nonne secure feruentem anni tempestatem vaticinari debeat? Sed hoc quam leue pondus sit ar gumẽtum, ex solutione facillima intelligemus. Concedatur enim nautam, medicũ rusticum, ex cer- tis præsagijs posse hæc præcogno scere, sed quæ tandem necessitas

Diomedæa (si Diis placet) nos adigit vt pari ratione de astrologis sẽtiam⁹. Nam exemplum quod ad firmandã causſam adhibetur, plᵒ habet dubitationis quã ipsa causa, nam nobis non constat, cuius naturæ Mars sit, nec ipsis prognostis, quod si hoc argumento aliquid conflare volunt, prius ostẽdant qua ratione Martem calidũ, aut Saturnum frigidũ appellent. Nisi enim istud prius fiat, vt principia vera ponantur, possunt pro suo arbitrio quiduis concludere, sed eorum propositiones, nõ plus habebunt fidei quam veritatis & certitudinis. Quare nõ quod medicus pręscire, nec quod Archinauta pręcognoscere aliquid possint

sint, idcirco Prognostæ Astrologi, eadem facient, nisi ex tam certis quã illi, fundamentis, suas prę-monstrationes petant. Verum ne insolentius contra eos Falsidicos (fatidicos dicerem) inuehamur, proposuit nobis Cuninghamus pręteritorum annorum euentum prędictis respondisse humiditatis scilicet anno. 1524. & siccitatis, anno. 1540. Sed hîc Cuninghami solertiam desydero, qui duorum annorum solummodo, & tam diu abhinc exactorum, effectus monstraret, cur nõ potius trium vltimo præteritorũ, imò si artem suam veridicam iactare velit, cur non vniuscuiusque anni statum, talem fuisse declarat, qualem pro

gnostę

gnostæ prędixerunt? an quia omnes vno ore reclamarent an potius quia de tempore olim trãsacto, securius fingere poterit? Sed non opus est tanta contentione, dabimus tibi viginti annos, ex eo tempore quo prognostica primũ cœpit, quorum status cum prędemonstratis congruebat. Vis ergo gloriari veram esse tuam manticen? quia ex bis mille annis, viginti solummodo pro te faciunt? Sed hęc luce clariora mitto, & vt ad portũ qui propè est contendamus, cum inutilis sit ista artis simia, ad medicinę opera, ad studiosorum profectum, ad reipublicę statum, porro cum sine principiis nihil cognosci queat, Astrologia autẽ principiis

cipiis, aut nullis aut falsis nititur, frustra in eius obseruatione otiũ teritur, stultè eiꝰ præsagijs fiditur, inique a simplicioribus colitur: digna magis vt sub ipso Lethes alueo sepeliretur, quam quæ gratissima luce fruens, ab hominibus vllo in pretio haberetur. Quod si laceratæ Astrologię partes, aliquis prognosta tueri velit: ijsdem quibus ego oppugnaui telis, eam propugnare priusquam corruat, maturè cogitet.

FINIS.

Aut non Astrologi vẽtura recludere norunt,
Aut non sunt vni, cognita fata Deo.

Typographus Lectori.

Humanum est errare, sed erratum non agnoscere, arrogantis est, tu igitur candidè Lector hæc ut quæq; primum obuiam venerint benignè corrigito.

ERRATA.

Fol. 2. pag. 1. linea. 11. supple destinatis.
Fol. 11. pag. 1. lin. 15. pro Cœsus lege Crœsus.
Eadem lin. pœnetrans lege penetrans.
Fol. 12. lin. 9. pro quod non, lege non quod.
Fol. 16 pag. 2. lin. 10. substitue רקיע

Nic. Fr. Bexley

LONDINI.
EX OFFICINA HENrici Suttoni, impensis Humfredi Toij.
6. die Mens. Septembris
1560.